IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNI

ANTECESSOR. LIPSIENS

DE

EPOCHA AVSONIANA

FICTOQVE

D. MAGNI AVSONII

CONSVLATV BVRDIGALENSI

DIATRIBE.

ACCEDIT

EDVARDI CORSINI

HVMANIORVM LITTERARVM IN ACADEMIA PISANA PROFESSORIS

DE

BVRDIGALENSI AVSONII CONSVLATV

EPISTOLA

LIPSIAE

APVD IO. CAR. MÜLLERVM

MDCCLXXVI.

AEQVO PERITOQVE

LECTORI

S

Nihil, quod te, L. B. in praesenti monerem, habuissem, nisi verendum mihi fuisset, ne in suspicionem vitii, a quo tamen semper quam qui maxime abhorrui, inciderem. Sunt scilicet inter eruditos, qui, vt famam augeant suam, haud secus ac apud VIRGILIVM puer ASCANIVS

Spumantem — dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem,

sollertissimas comminiscentes nugas, cunctaque magna impudentia oppugnantes, omnem lapidem mouent, vt tandem inlustrem, aut si id fieri haud possit, de grege aliquem, cum quo bellissime depugnent, aduersarium nanciscantur. Quos ego homines quemadmodum semper,

—— ceruus vti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugiam mollis anhelitu,

 ita.

ita liquido possum iurare, nihil tale mihi, contra doctissimum EDVARD. CORSINVM scribere instituenti, in mentem venisse, quippe qui non modo numquam famae alienae ruinis meam superstruere tentaui, sed nauiter etiam scio, tam cultam et elegantem Corsinianam epistolam esse, vt, quantumuis a vero aberret, semper tamen diatriben nostram, in qua scribenda nullam neque ingenii, neque elegantiae, sed vnice veritatis rationem habuimus, multis post se parasangis relictura sit, adeo, vt haud male de eius auctore illud MARTIALIS vsurpes: *Si non errasset, fecerat ille minus.* Tam felix scilicet natura nonnullis obtigit ingenium, vt etiam, cum falsa dicunt, placeant, eorumque scripta, etsi meras contineant coniecturas, nihilo tamen minus plerique, pulcellas tamquam puellulas, vnice exosculentur. Ceterum si qui erunt, qui haec neque ad edictum praetoris pertinere, neque annonam abundantiorem facere dicant, ii, quibuscum manus conferamus, plane indigni sunt, cum nesciant id, quod illi etiam sciunt, qui nondum aere lauantur, omnes scilicet artes, quae ad humanitatem (quo procul dubio iuris quoque scientia referenda est,) pertinent, quoddam habere commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se contineri. Momos, similes

fere

fere illi, qui cum in Venere Apellea nihil, quod carperet, inueniſſet, ſibi tamen, quo minus ſandalii crepitum reprehenderet, temperare non poterat, haud curamus, et ſi qui denique ſint, qui nos contra CORSINVM ſaltem haud conſiſtere debuiſſe criminentur, iis nihil, niſi vetus illud

Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν

reponemus. Tu autem, L. B. ſi quid nouiſti rectius iſtis, candidus impertire, et bene vale. Sc. Lipſiae ipſis Calendis Auguſti MDCCLXXVI.

IOS.

IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNI

DE

EPOCHA AVSONIANA

FICTOQVE

D. MAGNI AVSONII

CONSVLATV BVRDIGALENSI

DIATRIBE.

Cum non rudem modo plebeculam, sed viros etiam doctos, inque litterarum studiis versantes nihil magis quam nouitas moueat, adeo vt PLINIO L. II. Ep. 19. et L. VIII. Ep. 18. teste non aures tantum hominum nouitate laetentur [a]), sed eadem libris quoque quam maxime lenocinetur, haud profecto mirandum est, multos nouandi studio abreptos magis in rebus insolitis et nondum auditis excogitandis, quam in vero inuestigando exer-

a) Scilicet, vt iam HOMERVS *Odyss. A. 351.* cecinit,

Τὴν — ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ᾽ ἄνθρωποι

Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται

Eam — cantilenam magis celebrant homines,

Quaecunque auditoribus recentissima existit.

exerceri, ſuique vires ingenii periclitari. Quod vitium quemadmodum per ſe magnum bonisque litteris perniciosiſſimum eſt, ita ſaepius etiam fieri videmus, vt ne ſint quidem noua, quae ingenioſiſſime ab auctoribus, nubem haud raro pro Iunone amplectentibus, excogitantur, ſed centies iam ante dicta, noua tantummodo ſpecie, immo interdum ne hac quidem adiecta, in medium proferantur, et tamquam ſaepius repetita crambe denuo imperitioribus propinentur. Vix audeo dicere, idem aliqua ex parte accidiſſe videri viro doctiſſimo, EDVARDO CORSINO, Reg. Scholarum Piarum et in Academia Piſana humaniorum litterarum Profeſſori, cum lectoribus ſuis, D. MAGNVM AVSONIVM, grammaticum, rhetorem atque poëtam celeberrimum, Burdigalae in Aquitania b) quondam Conſulatum geſſiſſe, manibus gypſatiſſimis perſuadere, ſimul epocham, qua vſus eſſe AVSONIVS in Faſtis ab ipſo conditis dicitur, fabulas inter atque deliria chronologorum referre conatus eſt. Equidem etſi haud adeo Suffenus ſum, vt altius viro tam docto ſapere mihi videar, probe tamen ſciens, ſaepe etiam minus ingenioſum aliquid op-

b) Galli dicunt *Bourdeaux en Guienne*, qua in vrbe *A. Chr.* 385. ſynodus quoque contra PRISCILLIANVM acta eſt. Vid. DIONYS. PETAVII *doctrin. temp. P. II. p.* 750.

portune locutum esse, periculum pace tua, L. B. faciam, an vindicare tot virorum doctorum sententiam a nota ineptiae atque insulsitatis, quam EDVARD. CORSINVS illi impingere studuit, eademque opera locis quibusdam cum AVSONII, tum aliorum veterum auctorum nonnihil lucis adspergere possim. Vtne autem andabatarum more pugnemus, antequam ad cardinem rei perueniamus, iuuabit, ni fallor, breui totius causae coniectione, quid demum in controuersia sit, lectoribus ante oculos ponere.

D. MAGNVM AVSONIVM, variis functum muneribus, tandem ab Imp. GRATIANO, quondam discipulo suo, ad culmen omnium honorum atque fastigium, consulatum puta, euectum esse, in eoque collegam HERMOGENIANVM OLYBRIVM c) habuisse,

c) Vna cum OLYBRIO consulatum gessisse AVSONIVM plures etiam docent subscriptiones legum Cod. recteque iam monuit RELANDVS in *Fastis p. 462.* in subscriptione quoque *l. 4 C si a non compet. iud.* loco τοῦ *Auxonio* olim lectum fuisse *Ausonio*, atque ita citari in GREGORII Papae *L. XI. Ep. 55.* Multae adhuc in Codice emaculandae restant inscriptiones et subscriptiones, neque hac parte CANDIDVS ADININA GRANAÑESIVS in *Inscript. et Subscript. Iustinianei Cod. a typographor. incuriis vindicat.* (qui liber THEODOR. IANS. AB ALMELOVEEN *Fast. Rom. Consular. p. 637.* adiectus reperitur,) H. G. VAN VRYHOFF *Obs. Iur. Rom.*

buiffe, fciunt omnes, qui vel leuiter Romanam attigerunt hiftoriam. Incidit hic confulatus in annum Chr. 379. qui eft A. V. C. 1131. feu, vt alii volunt, 1132. qua de re nemini vel tantillum dubii fupererit, fi legerit teftimonia, quae in Faftis fuis poft alios produxerunt duumuiri, PETR. RELANDVS *p. 461.* et THEOD. IANS. AB ALMELOVEEN *p. 166.* nec non *p. 218.* At enim magna hic incidit difficultas, ipfeque hos circulos turbare videtur AVSONIVS, cum in Epigrammatibus, quibus faftorum a fe digeftorum meminit, his verbis vtitur:

 I. AV-

Rom. Cap. 17. et doctus anonymus in *Obf Mifcellan. Vol. IV. Tom II. p. 273. et Vol. V. T. I. p 130* omnia exhauferunt. Exemplum praebet infcriptio *l. 4. C. de Vectigal.* quae ita habet:

Imp Conftant. A. ad Rufum,

cum tamen RVFI loco IVLII RVFINIANI nomen reponendum effe, indicio nobis fit infcriptio vetus apud MAFFEIVM *Veron. illuftrat. Part. I. p. 360. n. XL* et MVRATORIVM *Infcr p. MXIX. 2.* reliqua, vbi occurrit IVLIVS RVFINIANVS *Confularis Aemiliae et Liguriae.* Ad hunc ipfum autem refcriptum, quod *d. l. 4.* continetur, miffum effe, docet nos *l. 1. C. Th. de Vectigal.* vbi paulo quidem plenius, fed nihilo tamen minus etiam vitiofe legitur:

Imp. Conftantinus A. ad Iunium Rufinum, Confularem Aemiliae,

adeo, vt tota infcriptio ita reftituenda fit:

Imp. Conftantinus A. ad Iulium Rufinianum, Confularem Aemiliae et Liguriae

Eft hic IVLIVS RVFINIANVS, cuius de *fig. fent. et elocut.* librum cum RVTILIO LVPO et AQVILA ROMANO edidit DAV. RVHNKENIVS *Lugd. Bat. 1768.* quem ea de re confule in *Praef. p. 27.*

I.

AVSONIVS HESPERIO FILIO SALVTEM.

Ignota aeternae d) *ne ſint tibi tempora Romae,*
Regibus et patrum ducta ſub imperiis,
Digeſſi Faſtos, et nomina perpetis aeui:
Sparſa iacent Latium ſi qua per hiſtoriam.
Sit tuus hic fructus, vigilatas accipe noctes.
Obſequitur ſtudio noſtra lucerna tuo.
Tu quoque venturos per longum conſere Ianos,
Vt mea congeſſit pagina praeteritos.
Exemplum iam patris habes: vt protinus et te
Aggreget Auſoniis purpura conſulibus.

II.

SVPPVTATIO AB VRBE CONDITA IN CONSVLATVM NOSTRVM.*)

Annis vndecies centum coniunge quaternos,
Vndecies vnumque ſuper trieterida necte.
Haec erit aeternae ſeries ab origine Romae.

III.

DE EODEM AD PROCVLVM.

Vrbis ab aeternae, deductam rege Quirino
Annorum ſeriem quum, Procule, accipies;

Mille

d) De Roma *aeterna*, quantum ſatis eſt, diximus *Probabil. Lib. II. c. 21.* conf. etiam HENR. EOLT in *Silua critica* (*Harlem.* 1766.) p. 28. ſeq.

e) Quo de conſulatu AVSONIO gratulatur SYMMACHVS *Lib. I. Ep. 20. et 21.*

Mille annos centumque, et bis fluxiſſe nouenos
Conſulis Auſonii nomen aduſque leges.
Fors erit, vt luſtrum quum ſe cumulauerit iſtis,
Confectam Proculus ſignet Olympiadem.

IV.

IN FINE EIVSDEM LIBRI ADDITI.

Hactenus adſcripſi Faſtos. ſi fors volet, vltra
Adiiciam. ſi non, qui legis, adiicies.
Scire cupis, qui ſim? titulum, qui quartus ab imo eſt,
Quaere; leges nomen Conſulis Auſonii.

Quodſi enim omnes numeros in Epigr. II. expreſſos in vnum conferas, fieri non poterit, quin annus milleſimus, centeſimus, decimus octauus ab vrbe condita exeat. Ait ſcilicet Poeta:

[illegible]is mille et centum	1100
adde quatuor	4
praetereaque vndecim	11
et denique tres	3
	1118

Hic erit numerus annorum a primordiis Romae immortalis ad noſtrum vſque Conſulatum, quem tamen, ſi epocham Catonianam Varronianamue adhibeas, non in hunc, ſed in annum potius 1131. aut 1132. incidere, omnia veteris

teris aeui monumenta tam clare luculenterque testantur, vt in dubium vocari a nemine, nisi ridendum praebere se velit eruditis, possit. Quod Epigr. II. dixerat AVSONIVS, idem, et clarius adhuc apertiusque, repetit Epigr. III. quod haud ineleganter ita interpretatur IVLIANVS FLORIDVS in splendidissima AVSONII editione, quae cura IO. BAPT. SOVCHAY in vsum Delphini *Parisiis 1730.* prodiit, *p. 83. Procule, quando disces ordinem annorum tractum a Romulo rege immortalis ciuitatis, leges mille, et centum, et octodecim annos elapsos fuisse vsque ad annum insignitum nomine Ausonii Consulis. Fortasse eueniet, vt postquam spatium vnius Olympiadis superadditum fuerit his, Proculus denominet extremum annum illius.* Quam difficultatem cum animaduerterent viri docti, illi quidem ita occurrendum censuerunt, vt AVSONIVM in fastis suis [f]) diuersam a reliquis viam iniisse, et primordia vrbis Romae paullo serius, quam ab aliis fit, (tredecim scilicet annis aerae vulgari detractis) collocasse dicerent. Ita post alios PETR. RELANDVS *l. c. p. 464. Ausonius,* inquiens, *ad consulatum suum supputat annos ab Vrbe condi-*

f) De AVSONII fastis vid. PANVINIVS in *Praef. p. 5.* de eiusdem autem Consulatu PANVINII *Commentar. in Lib. III. Fastor. p. 415.*

condita 1118. et epocham Varronianam annis 13. praeuertit, *quod obseruat Pagius in Critica ad a. 302* Eadem opinio est IVL. FLORIDI *in not. ad Auson p: 85.* ita scribentis: *Plures* (quam 1118) *ab V. C. ad Ausonium Consulem anni in Fastis Consularibus Sigonii, Haloandri, Onuphrii aliisque vulgatis numerantur. Hi enim Decium Ausonium Magnum cum Hermogeniano Olybrio Consulem exhibent anno V. C. 1132. millesimo centesimo tricesimo secundo, Christi 379. Sed cum de conditae Romae tempore inter auctores non satis constet, aliique maturius, alii tardius conditam existiment, non mirum, si Ausonii rationes cum nostris Fastis non congruant. Eratosthenes, Pomponius Atticus, M. Tullius, Cornel. Nepos, quos Chronographi nostri sequuntur, Romae incunabula* g) *statuunt circa Olympiadem sextam, aut septimam. Alii, quos sequutus videtur Ausonius, tardius paulo conditam Vrbem memorant, vt Fabius Pictor Olymp. 8. Lucius Cincius Olymp. 12.* vt nihil iam dicam de aliis, eidem sententiae, nihil plane absurdi aut absoni prae se ferenti, subscribentibus. Atenim displicuit ea EDVARDO CORSINO, et adeo displi-

g) De anno et die vrbis conditae, variisque eo pertinentibus veterum sententiis dixit PANVINIVS *l. c. p. 126.*

displicuit, vt tam insignem, si Diis placet, omnium fere chronologorum errorem, vndique coactis copiis, prosligare, immo, si fieri possit, penitus delere animum induceret. Quin adeo ea in re sibi placuit, vt non modo epocham Ausonianam, a PAGIO h) aliisque in auxilium vocatam, plane falsam commentitiamque esse scriberet, sed AVSONII etiam huc pertinentes locos noua prorsus ratione a se expositos fuisse, palam profiteri haud dubitaret, quod tamen multo aliter se habere, nihilque noui hac parte CORSINVM protulisse, infra pluribus a nobis demonstrabitur. Ne autem inaudito quasi aduersario sententiam a te, B. L. exposcere videamur, age, quibus rationibus celeberrimus CORSINVS hac in re vsus, quibusque argumentis sententiam suam suffulcire conatus sit, breuiter quidem, sed accurate edisseramus.

Ac primum quidem ait, se numquam impetrare a se potuisse, vt tam absurdam supputandi methodum, veterisque chronologiae ignorationem AVSONIO, viro sane eruditissimo, et qui ipse hoc chronologiae caput in digerendis Regum Consulumque Fastis explorare debuerit, admissam esse censeret. Deinde omnes difficul-

tates

h) *Tom. I. p. 595, edit. Antuerpiae an. 1705. typis expressae.*

tates facile superari posse existimat, si dicamus, AVSONIVM primum quidem Burdigalae anno V. C. 1118. siue Chr. 366. deinde autem anno V. C. 1131. siue Chr. 379. Romae Consulatum gessisse. Eundem autumat duplicis generis Fastos, duplicemque Consu'um seriem edidisse, in quorum vna Romanos, in alia Burdigalenses Consules complecteretur; in epigrammate, Hesperio filio cum Fastis Romanis inscripto, de Romano, in versibus autem, quibus ab V. C. ad Consulatum suum 1118. annos numerat, non de Romano, sed Burdigalensi Consulatu locutum fuisse, ideoque inibi haud aliam, quam Varronianam vrbis epocham, aliis etiam scriptoribus vsitatam, vsurpasse. Re ipsa autem AVSONIVM Burdigalae aliquando gessisse consulatum, probare conatur non modo ipsius Poëtae verbis, quibus is vtitur in fine encomii Burdigalae *pag. 262. edit. Tollii:*

Diligo Burdigalam, Romam colo; ciuis in hac sum,
Consul in ambabus; cunae hic, ibi sella curulis,

sed epigraphe etiam marmoris, teste SCALIGERO in Gallia quondam effossi, ita comparata:

DEC. AVSON. COS. OLYMPIADE *LXXXIII.*

Consulatum porro non Romanum, qui annuus erat, sed Burdigalensem potius, qui, vti plerique omnes maiores magi-

magiſtratus municipales, quinquennalis ipſi fuiſſe videtur, ab AVSONIO in epigrammate ad PROCVLVM miſſo indigitari, ideo extra omnem dubitationis aleam poſitum exiſtimat, quia, ſi de Romano conſulatu locutus eſſet AVSONIVS, neque Luſtri neque Olympiadis verbo vſus fuiſſet, cum in Romanorum conſulum ſerie nulla plane Olympias inueniatur, aut Olympiadum ratio habeatur, nulla quoque A. V. C. 1125. Olympias conficienda aut abſoluenda fuerit. Quibus poſitis concedi ſibi poſtulat, AVSONIVM, duobus diſtinctisque libris duplicem Faſtorum ſeriem contexuiſſe, et in vna quidem, HESPERIO filio dedicata, Romanorum tantum Regum ac Conſulum nomina expreſſiſſe, in altera autem PROCVLO inſcripta, patrios quoque, i. e. Burdigalenſes Conſules recenſuiſſe, eandemque ob cauſam Epigramma ſecundum et tertium de Conſulatu Burdigalenſi, primum et quartum contra de Romano explicanda, proximeque ſibi ſubnectenda eſſe, quo facto nullum ambigendi ſupereſſe locum, quin AVSONIVS Conſulatu Burdigalenſi A. V. C. 1118. ſeu, quod eodem redit, anno Chr. 366. functus ſit, Romanos autem faſces, tamquam laborum praemium, A. V. C. 1131. i. e. anno Chriſti 379. tenuerit. Summa denique totius ſcriptionis

tionis eo redit, vt in vexatis illis AVSONII carminibus non noua quaedam aut insolens annorum ab Vrbe condita supputandorum ratio, sed eadem prorsus epocha, idemque annorum calculus, qui a VARRONE institutus, constantique omnium chronologorum consensione confirmatus fuerit, agnoscatur.

En tibi, Lector, argumentorum a CORSINO in medium productorum vim! En arma, quibus probatam plerisque omnibus sententiam labefactare annisus est! Vereor autem, vt si omnia a Viro Celeberrimo quantumuis eleganter dicta iusta lance ponderentur, contra veritatem manifestam tenere se possint atque consistere.

Initio quidem per mihi mirum videtur, CORSINVM §. 9. palam prae se tulisse, ea, quae hac de re dixit, omnia scriptoribus ac interpretibus tantum non omnibus ignorata, a se autem primum certo perspicueque demonstrata esse, cum tamen fictus ille Burdigalensis AVSONII Consulatus dudum a PETR. PITHOEO *Aduersar. Lib. II. c. 18.* SCALIGERO *Auson. Lect. Lib. II. c. 23.* aliisque propositus fuerit. Quid quaeso clarius verbis SCALIGERI, quae leguntur in Tolliana AVSONII edit. *p. 262.* *Inter scribendum*

bendum fuccurrit veteris faxi, quod in praedio amplisſimi praeſidis Ioſephi Caſſiani effoſſum eſſe indicauit mihi amicus quidam ante hos aliquot annos. —— *Igitur hoc monumento ſignificatur conſulatus municipalis, hoc eſt, Burdigalenſis, non conſulatus Romae. Nam magiſtratus municipales, qui ex ordine decurionum deligebantur, pro inſtitutis municipii ſui alias Duumuiri, alias Conſules, alias Quinquennales nominabantur.* Huic concinit VINETVS in *not. ad Auſon. ib. p. 263 Poteſt Burdigalenſis ciuitas ſimiliter ac Roma fuiſſe conſtituta, aliqua ſaltem ex parte, Conſulatumque annuum magiſtratum etiam habuiſſe. Conſules et Coſſos hodieque vocitant ciuitates Galliae Narbonenſis, et Aquitaniae nonnullae,* rel. En, quam facile ſit, id, quod iam aui proauique noſtri cecinerunt, nouum putare, quantaque adhibenda ſit cautio, ne in rebus dudum ante nos dictis inuentisue nobis ipſis inuentionis laudem vindicatum euntes cum ARCHIMEDE exclamemus εὔρηκα, εὔρηκα! Sed haec obiter. Veniendum enim ad id, cuius cauſa tota haec diſputatio inſtituta eſt, diluendaque argumenta, quae ab ED. CORSINO ad ſtabiliendam ſententiam ſuam in medium prolata eſſe diximus.

Primum

Primum ſcilicet AVSONIO, viro ſane quam doctiſſimo, tam inſignem in chronologia errorem, tamque abſonam temporis computandi rationem tribuere nefas, immo piaculum eſſe exiſtimat. Ego vero ſcire velim, quare ſtatim erroris loco habendum ſit, quod ab AVSONIO ingenioſius fortaſſe, quam ab aliis factum erat, inuentum, accuratiusque litteris conſignatum fuerat. Quem quaeſo latent variae temporis computandi rationes, de quibus iam dixit DIONYSIVS HALICARNASS. *Antiqu. Rom. Lib. I.* CENSORINVS item *de die natali cap. 21.* aliique, quos numerare difficillimum foret. Notae ſunt Catoniana, Varroniana, Capitolina, Frontiniana, et Fabiana denique epochae, i) quas inter duae priores, altera ſcilicet PORCII CATONIS, M. VARRONIS altera, praecipue eminent.

i) Epocha chronologis etiam dicitur κανών, propterea quod, vt bene monuit CASAVBONVS ad *Dionyſ. Halicarnaſſ. L. I. p. 187. edit. Relskii*, idem fere, quod fabro eſt κανών ad dirigendum opus, chronographo ſunt epochae ad rationem temporum dirigendam. Catonianam inter et Varronianam computandi rationem vnius tantum anni diſcrimen intereſt. Conf. SCALIGER de *Emendat. tempor. p. 389.* De annis Capitolinis, nec non epocha Frontiniana, itemque de annis vrbis ſecundum FABIVM PICTOREM conſule Diſſ. de *periodo graeco-romana*, ANT. PAGI *Criticae in vniuerſ. annal. eccleſiaſt.* CAESARIS Cardinalis BARONII praemiſſam, *p. 45. ſeq.*

CATO scilicet, quique eum secuti sunt, vti DIONYS. HALICARNASS. et SOLINVS; Romam anno primo septimae Olympiadis, VARRO autem, et qui illi subscribunt, vti POMPONIVS ATTICVS, M. TVLLIVS, VELLEIVS PATERCVLVS et CENSORINVS eandem anno tertio sextae Olympiadis conditam esse opinantur. Vid. HENR. LINDENBROGIVS in *not. ad Censorini l. c. p. 131.* edit. quae *Cantabrigiae 1695.* prodiit. Anne igitur omnes, qui a Varroniana hypothesi aliquantulum deflectunt, erroris confestim postulandi, criminisque laesae quasi chronologiae rei habendi sunt? Equidem vix putauerim! CHRISTVM, vt hoc vtar exemplo, A. V. C. 754. natum fuisse, recepta hodie apud nos opinio est. Nihilo tamen minus nuper exstitit vir haud profecto indoctus, DOMINICVS puta MAGNANVS, qui in *Problemate* k) *de anno natiuitatis Christi* (*Romae 1772. 8. typis exscripto*) contra veteres omnes et recentiores chronologos CHRISTVM annò VIII. ante aeram vulgarem natum esse, sibi demonstrandum sumsit. Et vetus, teste LIVIO, et vulgata res est, vt noui semper scriptores aut in rebus certius

k) Vid. tamen, quae ad illud nuper monuit S. V. IO. AVG. ERNESTI in *Progr.* sub finem anni 1774. proposito.

certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credant. Quidni igitur AVSONIVS quoque acutius se cernere aliis, meliusque prioribus Romanae fastos vrbis se ordinaturum esse, blandiri sibi potuit? Fac tamen, fefellisse eum opinionem, quid quaeso hoc mirum in maximo illo, de quo grauissimae apud veteres auctores exstant querelae, annalium dissensu, indeque oriunda historiae antiquae incertitudine? *Tanti errores*, inquit LIVIVS II. 21. *implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, vt nec qui consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate, non rerum modo sed etiam auctorum, digerere possis*, idemque *VI. 1. Quae ab condita vrbe Roma ad captam eandem vrbem Romani sub regibus primum, consulibus deinde ac dictatoribus decemuirisque ac tribunis consularibus gessere, foris bella, domi seditiones, quinque libris exposui; res quum vetustate nimia obscuras, veluti quae magno ex interuallo loci vix cernuntur: tum quod et rarae per eadem tempora litterae fuere,* 1) *vna custodia fidelis memoriae rerum gestarum;*

1) Quod cum lego, in mentem venit notissimus TACITI locus, quo apud veteres Germanos *litterarum secreta* viros pariter ac feminas ignorasse memorat; venit etiam coniectura, a CHRI-

rum; et quod etiam si quae in commentariis pontificum, aliisque publicis priuatisque erant monumentis, incensa vrbe pleraeque interiere. Nec aliter VOPISCVS in *Aureliano Cap.* 2. *Et quoniam sermo nobis de Trebellio Pollione, — in eodem vehiculo fuit, asserente Tiberiano, quod Pollio multa incuriose, multa breuiter prodidisset: me contra dicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum: prodente quin etiam, in quo Liuius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus conuincerentur: pedibus in sententiam transitum faciens, ac manum porrigens iocundam praeterea, Scribe, (inquit) vt libet: securus, quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites, quos historicae eloquentiae miramur auctores.* Quis quaeso cachinno publico hodie non exciperet eum, qui clauis parieti adfixis annos numerare atque distinguere instituerit? Idem tamen olim fecerunt Romani teste LIVIO *VII. 3.* et *VIII. 18.* nec non FESTO de *V. S. p. 82. edit. Dacer.* ita scribente:

Clauus

CHRISTIANO CRVSIO, iisdem in verbis *litterarum* loco *littorum* (ab inpudicis scilicet feminis frequentatorum) legente, *Opusc.* a C. A. KLOTZIO edit. *p.* 37. tentata, qua tamen facile carebimus, si cum KLOTZIO aliisque *litteras amatorias* intelligamus.

Clauus annalis appellabatur, qui figebatur in parietibus sacrarum aedium per annos singulos, vt per eos numerus colligeretur annorum, vt ne fileam verba PETRONII in *Satyric. Cap. 135.*

Et paries circa palea satiatus inani,
Fortuitoque luto, clauos numerabat agrestes.

Quis porro apud nos laudationibus funebribus fidem habet, et non mentiri potius iis proprium putat? Iisdem tamen haud parum detu'iffe Romanos, iterum locuples nobis testis est LIVIVS *VIII. 40. Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis, dum familiae ad se quaeque famam rerum gestarum, honorumque fallente mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta, et publica monimenta rerum confusa. nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur*, quocum consentit CICERO in *Bruto Cap. 16. Nec habeo quenquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho, et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant: et hercules hae quidem exstant. Ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta seruabant, et ad vsum, siquis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum do-*

 mestica-

mesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam. quanquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures CONSVLATVS, *genera etiam falsa*[m]), rel. Parco pluribus in re manifesta; plura autem dabit IAC. PERIZONIVS *Animaduers. histor. Cap. 5. et 6.* nec non, quod praecipue ad perplexam intricatamque fastorum materiam attinet, ALMELOVEEN in *Praefat. fastis suis praemissa, p. 10. seq.*[n]). Quorsum autem haec? Eo scilicet, vt duo persuadeamus lectoribus nostris, primum scilicet, haud nobis constare, VARRONE, aut, quos supra numerauimus, reliqui, an AVSONIVS accuratius diligentiusque fastos digesserit; deinde, etiamsi hic lapsus esset, nemini tamen hoc mirum videri, eamue ob causam illius a ceteris dissensum in dubium vocari, aut eum CORSINO plane negari debere. Haud magis, quod idem de consulatu AVSONII Burdigalensi, fastisque duplicibus ab eo compositis scribit, albo notandum calculo nobis videtur, quippe qui, AVSONIVM numquam Consulatu Burdi-

m) De historia Romana, magnam partem incerta et impedita, nuper quaedam proposuit RAMBACH, *Quedlinb.* 1773.

n) Sic CICERONEM quoque cum LIVIO interdum dissentire docuit P. WESSELINGIVS *Obs. Lib. II. c. 5.*

Burdigalensi functum esse, persuasissimi sumus. Vis rationes? Accipe sequentes. Primam nobis suppeditat GRAEVIVS in *not. ad Ausonium p. 262. edit. Toll.* *Consulem*, inquiens, *se Romae fuisse vbique iactat Ausonius, Burdigalae nusquam.* Erunt fortasse, qui nobis hic argumentum, quod vocant, inficiale aut nullius aut saltem haud magni ponderis esse, occinant. Hos ipsos autem meminisse oportet, aliud esse, si quis praetereat id, quod aut ad ipsum, aut ad rem, qua de agit, proprie haud pertinet, aliud rursus, si silentio premat, quod alias extollere, aut de quo gloriari consueuit. Cum igitur AVSONIVS honores suos tacitus praeterire haud soleat, nullum mihi superest dubium, eum, si consulatu Burdigalensi re ipsa functus esset, huius quoque muneris alicubi mentionem facturum fuisse.o) Porro no-

 tari

o) Nullibi profecto minus hoc omisisset, quam in *Ep. ad Syagrium*, vbi *p. 594. edit. I. B. Souchay* haec legimus:

Exactisque dehinc per trina decennia fastis
Asserui doctor municipalem operam.
Aurea et Augusti Palatia iussus adire
Augustam sobolem Grammaticus docui:
Mox etiam Rhetor. ——

Cuius ego comes, et Quaestor, et culmen honorum,
Praefectus Gallis, et Libyae, et Latio:
Et prior indeptus fasces, Latiamque curulem,
Consul, collega posteriore, fui.

tari velim locum eiusdem in Epicedio in patrem ipsius, IVLIVM AVSONIVM, vbi eum ita loquentem inducit:

> *Maximus* (qui ipse noster est) *ad summum culmen peruenit honorum,*
> *Praefectus Gallis, et Libyae, et Latio,*
> *Tranquillus, clemens, oculis, voce, ore serenus,*
> *In genitore suo mente animoque pater.*
> *Huius ego et natum, et generum pro Consule vidi.*
> *Consul vt ipse foret, spes mihi certa fuit.*

Iam quaero, an haec apud AVSONIVM legeremus, si Burdigalae Consulatum, quem praefectura priorem fuisse ipse CORSINVS contendit, gessisset? Tertio considerandus est annus, cui idem consulatus a CORSINO adsignatur. Est is A. V. C. 1118. seu annus Chr. 366. *Nec serius profecto*, ait §. 14. *Consulatum illum in patria sortiri ipse poterat, cum anno proximo 367. quo Gratianus a Valentiniano patre Augusti nomen accepit, Ausonius Burdigala ad aulam accitus fuerit, vt Gratianum ipsum erudiret.* Nouimus autem, Rhetoris munere AVSONIVM Burdigalae functum esse, vt ipse memorat in *Professor. XXIV.*

Tu

Tu quondam puero compar mihi discipulo: mox,
Me dehinc facto Rhetore, Grammaticus. p)

Iam mihi quis legat verba eiusdem in *Edyll. IV.* f. *protreptico ad nepotem:*

Nec rudis haec anus admoneo, sed mille docendo
Ingenia expertus. —— ——
Quae tolerata mihi, donec iam aerumna iuuaret,
Leniretque vsu bona consuetudo laborem.
DONEC *ad Augustae pia munera disciplinae*
Accirer; varioque accingerer auctus honore:
Aurea quum parere mihi palatia iussum,

et dicat, qui vti his verbis AVSONIVS potuisset, si A. V. C. 1118. Consul Burdigalae fuisset. Haud dubito quidem fore, qui AVSONIVM vno eodemque tempore et Rhetoris et Consulis munere functum esse dicant. Sed hi erunt fere, qui priscorum consuetudinem temporum iuxta sciant cum ignarissimis. Accidere quidem tunc potuit, quod IVVENALIS canit *Sat. VII. v. 197.*

Si fortuna volet, fies de rhetore consul;
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor,

idemque quod apud PLINIVM *L. IV. Ep. 11.* exclamat VALERIVS LICINIANVS: *Quos tibi fortuna ludos*

p) Ad quae verba conf. BOLT *l. c. p.* 61.

ludos facis? Facis enim ex professoribus senatores, ex senatoribus professores; vt quis autem consul rhetorque simul esset, accidere haud potuit; quod si euenisset, profecto omnes per vicos vrbis pueri puellaeque alta cecinissent voce:

Concurrite omnes augures, aruspices:
Portentum inusitatum conflatum est recens.
Quem Rhetorem nouistis, *Consul factus est.*

Generatim nouimus, haud placuisse veteribus illud recentioris aeui idolum, πολυπραγμοσύνην, qua saepius fieri videmus, vt, qui plura sibi vindicauit, omnia amittat, nec in vno prodesse possit, qui plus aequo fidens viribus suis superesse pluribus voluit. Eleganter CHRIST. FALSTERVS *Amoen. Philolog. II. 10. Quemadmodum Bion homines, qui Philosophiam neglectui habebant, aliis vitae muneribus intenti, procis Penelopes simillimos esse aiebat, qui, cum dominae amplexu frui non possent, Polydoram ceterasque ancillas colebant: sic equidem non diffiteor, Philosophos nostros, qui simplici philosophiae honore non contenti, vario professionis colore delectantur, adulteris illis similes mihi videri, qui vxore neglecta amores ancillae ambiunt, similes Hermaphroditis, similes animalibus, quae cum heterogenea*

specie

ſpecie corpus miſcent. —— *Certe multo conſtantius aequabiliusque res noſtrae ſe haberent, ſi rerum quisque, quem didicit, duceret, et intra fortunam ſuam atque ſtudia maneret; ſi litterata ſocietas popularia opificum collegia imitaretur, in quibus ſutori nefas eſt officinam ſartoris occupare; ſi denique ſapientes noſtri, ne per* πολυπραγμοσύνην *ſuam vel ipſi ſemidocti forent, vel res publica detrimentum caperet, pulchre prouiderent. Sed enim*

Ita plerique ingenio ſumus omnes. noſtri noſmet poenitet.
Optat ephippia bos piger, optat arare caballus. q)

Sed haec ἐν παρόδῳ. Eo igitur, vnde paululum deflexinus, redeamus.

Occurrendum ſcilicet dubio eſt, quod CORSINVS mouet, grauiſſimo, occentans nobis proprium ſcilicet AVSONII de conſulatu ipſius Burdigalenſi teſtimonium:

Diligo

q) Accidit tamen multis, quod de quodam magiſtro narrat vir multae vrbanitatis, WERNERVS ROLEVINK, in *faſc. temp. omnes antiqu. Chronic. complect.* ap. PISTORIVM, *Script. R. G Tom. II. p. 73.* his verbis: *Fertur de quodam Magiſtro magnae litteraturae, qui valde ſublimiter diſputauit contra diuitias Praelatorum et faſtum eorum, quaſi omnino ſic viuere non liceret. Haec cum nunciata Domino Papae fuiſſent, plauſibiliter reſpondit: Demus ei bonam Praepoſituram et haec et illa Beneficia, et bene pacatus erit. Factum eſt ita, et ecce protinus ſententiam mutauit dicens: Numquam intellexi materiam hanc praeter modo; quippe qui de inope diues, de contemtibili repente glorioſus apparuerat*

Diligo Burdigalam, Romam colo, ciues in hac sum.
Consul in ambabus; cunae hic, ibi sella curulis. r)

Possemus hic facere, quod dudum ante nos fecit GRAEVIVS in *notis ad h. l.* *Haec inuersa sunt*, inquiens, *et sic restituenda:*

— — — Consul in hac sum,
Ciuis in ambabus,

maxime cum eadem sententia sit IVL. FLORIDI *p. 226. edit. Southay*, his verbis expressa: *Missis, quae Scaliger et Vinetus de municipalibus Magistratibus hic commemorant, Graeuii restitutionem amplector ambabus vlnis, et lego: Consul in hac sum, ciuis in ambabus. Ciuis Burdigalae natus est Ausonius, Consul Romae esse non potuit, quin simul ciuis esset Romanus. Plana omnia sic legenti, quae aliter male cohaererent.* Possem, inquam, ita defungi, atque sic magnorum fretus auctoritate virorum facile omnes superare difficultates, praecipue cum negari haud possit, ingeniosissimam hanc emendationem esse, multumque sua blandiri elegantia, adeo vt, nisi reipsa sic scripserit, saltem ita scribere debuisse AVSONIVS

r) Nihil hunc locum ad probandum AVSONII Consulatum Burdigalensem facere, iam animaduertit MARC. VELSERVS *Rer. Aug. Vind. lib. 5. p. 80.* edit. quae *Francofurt. ad M. an. 1594.* prod. cui etiam subscribit SC. GENTILIS *de insidiis. II, 5.*

NIVS videri possit. Sed apage istam truculentiam! Non amo tales medicos, praesertim cum veteres omnes et recentiores editiones, interque illas etiam *Aldina pag. 103.* constanter receptam seruent lectionem, neque res tam desperata sit, vt vulnus haud medicabile, ideoque ense recidendum esse videatur. Recte scilicet scripsit AVSONIVS:

——— ——— *Ciuis in hac sum,*
Consul in ambabus. ——— ———

Qui ita? Responsum accipe non meis, sed VINETI ad *h. l. p. 263.* verbis: *Qui Consul fuit Romae, Consul quoque Burdigalae simul fuit, si Burdigala* (de quo nemo dubitat) *Romano parebat imperio,* quod dudum etiam placuit VALESIO,[s]) atque ita comparatum est,

vt

s) In *Valesianis p. 231.* vbi ita scribit: Ausone donc dit, qu'il aime Bordeaux d'autant qu'il y est né, et qu'il en est citoyen; mais qu'il honore et qu'il a en vénération Rome, parce qu'il y a pris avec le nom de Consul ordinaire la selle curule, et les autres marques consulaires, et qu'il y est entré en possession d'une dignité, qui durant son année l'a rendu non seulement à Rome, mais aussi à Bordeaux et dans tout l'Empire romain la seconde personne de l'Etat. Car qui étoit Consul ordinaire, étoit nommé et reconnu Consul par tout l'Empire Romain; et non seulement à Rome, mais dans toutes les villes et places de l'Empire. Son nom servoit de marque durant l'année de son Consulat, non seulement à toutes les Chartes et à tous les actes des particuliers, mais aux edits mêmes et aux loix des Empereurs.

C'est

vt verius dici nihil poſſit. Notiſſimum ſcilicet eſt, eum, qui Romae Conſul factus eſſet, toto Romano orbe talem exiſtimatum [t]), annumque quo Conſulatum gerebat, in Faſtis eius nomine ſignatum fuiſſe. Hinc quoque eſt, quod diuiſo imperio alter Conſulum Orientis, Occidentis alter diceretur, ceu poſt alios recte obſeruauit IO. AVG. BACHIVS in *hiſt. iurispr. rom p. 563.* Ceterum hanc interpretationem firmant etiam ſequentia:

—— —— *Cunae hic, ibi ſella curulis.*

Ait *Cunae hic*, i. e. Burdigalae. Haud nouum enim eſt apud ſcriptores Romanos, vt τὸ *hic* ad remotius, τὸ *is* autem ad propinquius referatur. Vid. DAV. RVHNKENIVM *in notis ad P. Rutilium Lupum de figur. ſentent. et elocut. p. 126.* Pergit AVSONIVS: *ibi*, i. e. Romae, *ſella curulis*, quibus verbis minus profecto, quam par erat, Poeta dixiſſet, ſi Burdigalae quoque Conſul

C'eſt là le vray ſens des deux vers d'Auſone, ou il n'y en a point du tout. —— ——

Ita vero nec CANGIO adſtipulamur in *Gloſſar.* ſub v. *Conſul* ita ſcribenti: *Conſules in ciuitatibus, qui in aliis vulgo Scabini vocantur, quorum dignitas antiqua. Auſonius in vrbibus: Diligo Burdigalam, Romam colo,* rel.

t) Similiter fere de SEIANO IVVENALIS X. 63.

Iam ſtrident ignes, iam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens
Seianus: deinde ex FACIE TOTO ORBE SECVNDA
Fiunt vrceoli, pelues, ſartago, patellae.

ſul fuiſſet, propterea quod duumuiri in municipiis etſi non ſella curuli, biſellii tamen honore vſi ſunt, quod multo eruditionis apparatu ad hoc marmor, *Piſis* olim repertum,

D. M.
Q. LARGENNIO
Q. F. GALL. SEVERO
AEDILI. PISAS
Q. LARGENNIVS
CHRESIMVS. PATER
QVI. OB. HONOR
BISELLI. HS. L. NV.
REI. P. PISANOR
DEDIT

docuit VAL. CHIMENTELLIVS de *honore biſellii*, et poſt eum EV. OTTO de *Aedil. Colon. et Municip. p. 415.* u) Sed nec vero videtur ſimile, AVSONIVM, Conſulatu Romano functum, duumuiratum etiam Burdigalenſem conſulatus nomine deſignaturum, duoque haec munera (immane quantum diuerſa) quaſi aequalia

u) Conf. etiam IO. WVNDERLICH de *legitimat. per oblat. cur. Lib. ſing. p. 5. ſeq.* et, qui ibi laudatur, GVIDO PANCIROLVS de *magiſtrat. municipal.*

lia vno versu coniunctorum fuisse, quod aeque ridiculum esset, ac si Consul Lipsiensis eum, qui *Tauchae* Consul cluet, sibi aequipararet. Equidem haud subscribo iis, qui rectores vrbium prouincialium, coloniarum et municipiorum numquam consules appellatos esse opinantur, quorum in numero praeter TH. REINESIVM in *Epistolis ad Rupertum* sunt etiam GRAEVIVS et VALESIVS *ll. cc.* Dudum enim contrarium docuit EV. OTTO in Diss. de *Consulibus, qui extra Romam,* (inter *Diss. eius Iur. Publ. et Priu. p. 437.)* nec non in LIBR. SING. de *Aedil. Colon. et Municip. Cap. II.* v) Item tamen scio, adeo Romanis sorduisse municipia, tantumque apud ipsos magistratuum municipalium fuisse contemtum, vt illos non magistratus, sed magistros appellarent, eosdemque quauis data occasione naso adunco fastidiose suspenderent. Ita sane HORATIVS *Sat. I. 5.*

Fundos Aufidio Lusco Praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae.

Nec aliter BILBILITANVS *Epigr. IV. 66.*

Egisti

v) Conf. quoque IOACH. MEIERI *Commentat. de nummo quodam aureo Posthumi rarissimo (Goslar. 1713.) §. IX.*

Egisti vitam semper, Line, municipalem,
Qua nihil omnino vilius esse potest.

Et cum ipse AVSONIVS in *Grat. Act. Quomodo* inquiens, *Titianus magister? Sed gloriosus ille municipalem scholam apud Visontionem Lugdunumque variando, non aetate quidem, sed vilitate consenuit*, municipalem scholam pro ignobili et abiecta dixerit, ceu iam a SIRMONDO ad *Sidon. Lib. I. Ep. 11.* et EV. OTTONE de *Aedil. Col. et Mun. Cap. 12.* obseruatum est, cui quaeso vero videbitur simile, eundem vno eodemque loco se consulem Romanum simulque Burdigalensem appellasse? Credat, qui volet, me certe numquam habebit consentientem.

Quod ad epigraphen SCALIGERO memoratam attinet, nimis profecto incertum huius testimonium est, quam vt tuto ei fidere liceat. *Diu*, ait, *mecum egi, an possem illius inscriptionem in memoriam reuocare, quia obiter, et vt fit, aliud agens, illam legeram: neque aliter legere quicquam pensi habui. Tamen nisi vehementer fallor, videtur mihi ita habuisse: Dec. Auson Cos. Olympiade LXXXIII. si quid a me erratum est, erit fortasse in vltimis numeris. Nam vtrum III. an IV.*

in ea inſcriptione fuerit, non plane memini. Etiamſi autem recte meminiſſet SCALIGER, adhuc tamen, an epigraphe illa ad AVSONIVM noſtrum referenda ſit, incertiſſimum eſt.

Sed nec illud quemquam mouere debet, quod CORSINVS nullam plane in Romanorum Conſulum ſerie Olympiadum rationem haberi contendit. Quod cum ſcripſit, ſane genium ſuum haud aduocauit vir doctiſſimus Alias enim facile intellexiſſet, etſi in Faſtis Romanorum publicis anni non Olympiadum numero, ſed Conſulum nominibus ſignati fuerunt, nequaquam tamen hoc obſtitiſſe Romanis ſcriptoribus, maximeque Poëtis, quominus in numero annorum ineundo interdum quoque Olympiadum ratione vterentur. Sic ſane OVIDIVS ex *Pont. IV. 6. 5.*

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta eſt,
Iam tempus luſtri tranſit in vlterius.

nec non MANILIVS *III. 592.*

— Numero niſi deeſſet Olympias vna.

Generatim autem Romanos Olympiadas cum luſtris ſaepius confudiſſe, dudum poſt alios I. M. GESNERVS

in

in *nou. lingu. et erud. Rom. Thes.* sub v. *lustrum* et *Olympias* recte obseruauit, neque adeo video, cur scribere *Epigr. III.* AVSONIVS haud potuerit: Fortasse eueniet, vt postquam anno 1118. (quo Consulem se fuisse ait,) spatium vnius Olympiadis (s. lustrum) superadditum fuerit, annus huius Olympiadis extremus nomine Proculi (Consulis) signetur. Vereor sane, ne, qui contradicendi studio abreptus aliter sentiat, nodum in scirpo, quod aiunt, quaerere videatur. Ceterum in eodem AVSONII loco explicando iam versatus est PETAVIVS de *doctrin. temp. P. II. p. 93.*

His omnibus rite perpensis porro non modo coniectura ED. CORSINI de fastis duplicibus ab AVSONIO contextis, cuius rei nullibi nec vola nec vestigium exstat, sponte sua euanescit, sed nec opus est, vt epigrammata supra producta aliter, ac in plerisque scriptis editisque AVSONII libris leguntur, collocentur, primumque et quartum de Romano, secundum cum tertio autem de Burdigalensi Consulatu explicentur. Sane in editione AVSONII, quae apud ALDVM *Venetiis A. 1517.* prodiit, *p. 47.* epigramma, cui initium *Vrbis ab aeternae*, disertis verbis ita inscriptum est:

De eodem fastorum libro ad Proculum. x)

Quae cum ita sint, facile in posterum carebit, ni fallor AVSONIVS Burdigalensis honore Consulatus, quem nimis liberaliter ad eum deferre voluit ED. CORSINVS, quemadmodum idem lubenter etiam patriciatus dignitate abstinet, qua eum praeter omnem historiae fidem nonnulli condecorare annisi sunt, qua de re quia iam diximus *Probabil. Lib. II. cap. 19.* cramben recoctam hic apponere nefas putamus. Atque sic ex duobus, quae proposuit ONVPHRIVS PANVINIVS *Fastorum L. I. p. 134. edit. Venetae d. a. 1558. Porro,* inquiens, *quam sententiam sequutus fuerit Ausonius, qui se Consulem fuisse scribit anno MCXIIX. ingenue me ignorare fateor, ita enim ait:*

Mille annos centumque et bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonii nomen adusque leges,

quum in Fastis anno vrbis conditae MCXXXI. referatur, nisi eum bis Consulem fuisse dicamus, primo anno vrbis MCXIIX. suffectum, postea MCXXXI. ordinarium, vel eum aliam (singularem scilicet, et a reliquis diuersam) *sequutum fuisse annorum in digerendis vrbis con-*

x) Deficit autem ibidem *Epigr. II.* quod incipit *Annis vndecies.*

conditae annis rationem, non nisi postremum remanet, propterea quod coniectura de duplici AVSONII Consulatu Romano, vno ordinario, suffecto altero, non modo nullis suffulcitur indiciis, sed rationibus etiam indolique Fastorum Romanorum, in quibus ordinariorum quidem, nequaquam autem suffectorum etiam Consulum nominibus anni numerabantur, plane contraria est, vt bene ipse docuit CORSINVS §. 7. Epistolae suae, y) cui

 quidem

y) Idem tamen varie errat §. 14. scribens, AVSONIVM anno 378. vna cum HESPERIO filio Galliarum simulque Italiae Praetorio praefuisse, mox autem anno proximo 379. Romanorum Consulum fasces obtinuisse. Dudum enim ostendit TILLEMONTIVS (*dans l'histoire des Empereurs Tom. XI. p. 409. edit. Bruxellens.*) AVSONIVM primo quidem Italiae, deinde vero Galliarum Praefecturam, hancque postremam etiam Consulem, immo finito iamiam consulatu adhuc gessisse. Idem docet ALB. RVBENIVS in Diss. *de vit. Fl. Mallii Theodori p. 17. seq. edit. Platner.* addens, ideo AVSONIO vtraque in praefectura (qua in re titubat TILLEMONTIVS *l. c. p. 410.*) socium adiunctum esse HESPERIVM filium, quod viro, liberalibus studiis dedito, haud lubitum fuerit administrationi praefecturae praetorio plane vacare. De vita AVSONII generatim quaedam attigit BAYLIVS in *Dictionar.* sub v. *Ausonius.* Christianus idem an fuerit, cum aliis nonnullis dubitat GOTFR. MASCOVIVS in *not. ad vers. germ. Ant. Muratorii histor. Ital. Tom. II. p. 537.* Mihi autem AVSONII *Ephemeris* aliaque nonnulla christiano dignissima carmina nullum de fide eius Christiana dubium relinquunt, neque adeo meum facio, quod de CLAVDIANO scribit I. M. GESNERVS in *Prolegom. ad Claudiani Carmina p. 5. Et si quis pertendat, Christianum fuisse, dicemus, ex eo illum genere fuisse, in quo fuit Ausonius.* —

Forte

quidem in eo quoque, quod de epocha AVSONII, in ARNOBII loco (*adu. gentes L. IV.*) frustra a nonnullis quaesita, §. *16. seq.* monuit, lubentissimo animo adstipulamur. Vt autem lectores, quae demum sententia, meane an CORSINI, vero quam simillima sit, aestimare, atque ita, quae stare, quae cadere debeat, iudicium ferre facilius possint, ipsam viri celeberrimi Epistolam, quae *Pisis anno 1764.* prodiit, et his saltem in oris rarissima est, typis repetitam huic diatribae integram subiicere non modo haud abs re, sed etiam necessarium esse duximus.

Forte pars eruditionis Claudiani fuit notitia rerum Christianarum, iactare illam et ostentare, pars ingenii. Sed nec placet, quod scribit TILLEMONTIVS *l. c. p. 312.* Il seroit à souhaiter, et pour diminuer sa condannetion, et pour l'honneur du Christianisme, qu'il eust plutost esté payen. Car ses écrits sont partout pleins de paganisme, et quelquefois des impuretez les plus detestables, selon l'expression d'un auteur, qui ne doit pas passer pour trop scrupuleux. Quasi scilicet non potuisset tandem ad sanam mentem redire et resipiscere.

EDVARDI

EDVARDI CORSINI

CL. REG. SCHOLARVM PIARVM

ET

IN ACADEMIA PISANA HVMANIORVM LITTERARVM PROFESSORIS

EPISTOLA

DE BVRDIGALENSI AVSONII CONSVLATV.

FRANCISCO DE ALBIZZIS
PATRICIO PISANO
PRIMATIALIS ECCLESIAE CANONICO ET
IN PATRIA ACADEMIA
PONTIFICII IVRIS INTERPRETI
EDVARDVS CORSINVS.

Sexagesimus annus absolutus,
Et virus podagrae insidens medullis
Spem nobis vetat incohare longam.

Ita nimirum optime vereque dicebat Cato, FRANCISCE doctissime, quod vbi corporis, animique vires, vel imminente iam senio, vel ingruentis aegritudinis vitio languere coeperint, de longioribus, grauibusque studiis cogitari non potest; sed satis praeclare nobiscum agi putandum est, si breuiora solum, et leuiora quaedam argumenta suscipere, et illustrare concedatur. Miseram hanc sortem mihi obtigisse Tu facile profecto intelligis, quippe qui vna cum plurimis Exc. Patribus ac ciuium corona superioribus Kalendis Nouembribus perhumaniter intereras, cum pro iniuncto Oratoris, ac Historici munere Adolescentum nostrorum animos praeclaris Maiorum nostrorum exemplis ad optima quaeque

doctri-

doctrinarum studia excitarem. Etenim vix amplissimas Galilei nostri laudes ingressus vehementi quodam ac inopino vel podagrici, vel acrioris alterius humoris impetu (refugit enim animus id accuratius inquirere) repente perculsus, fere absolutam Orationem abrumpere, ex hedra abire, semianimis domum referri sum coactus, vbi quatriduo cum morte conflictatus, maximo tandem Dei beneficio, et doctissimorum hominum praesidio a morbo recreatus sensim convalui, et calamum tractare incepi. Itaque reparatis sensim viribus moeroris, ac taedii leuandi gratia in Aduersaria oculos conieci, in quae iampridem plurima a me legendo obseruata opportune congesseram, atque ex iis argumentum aliquod selegi, quod mihi facilius, studiisque meis opportunius videbatur. Quum enim Praefectorum Vrbis Seriem paucis abhinc mensibus adornarem, quae nuperrime in lucem prodiit, de Rutilio Numatiano sermonem institui, quem hoc illustri Praefecti munere aliquando functum accepimus. Quum autem is in Galliam rediturus tempus exprimere cuperet, quo reditus ille contigerat, 1169. annos ab Vrbe Roma condita numerauit, atque annos ipsos in Catonis, siue potius in Varronis hypothesi supputatos esse deprehendi, vt nimirum annus 416.

a

a Christo nato exprimeretur: vt proinde Rutilius ipse ceteris Scriptoribus accenseatur, qui in supputandis annis ab Vrbe Condita Varronianam Epocham vsurparunt. Illud autem interim mirari maxime subiit, quod Ausonius iisdem ipsis Rutilii temporibus Epocham aliam vsurpare diceretur, quae 13. solidis annis a Varroniana differret, atque ipsa posterior foret: et quae iamprimem ab Arnobio quoque praecedenti Seculo adhibita putaretur: quodque grauius esse debet, haec Vrbis Epocha Ausonio, et Arnobio tributa a Chronologis, Scriptoribus, ac Interpretibus omnibus memorata fuerit: perinde ac si ex laudatis Ausonii verbis id omnino perspicue certoque deduceretur. Ego vero singulis Ausonii locis subtiliter, accurateque exploratis, manifestissime ostendi posse putaui, quod Interpretes omnes longissime ab Ausonii mente aberrarunt, et nouam hanc Epocham ipsi temere affinxerunt; cum ipse profecto non aliam, quam Varronianam Epocham, Rutilii instar, in supputandis annis ab Vrbe Condita vsurpauerit. Id ego breuissima hac epistola demonstrandum suscepi, in qua nonnulla scitu iucunda de Consulibus Municipalibus opportune obseruaui. An vero feliciter, et ex voto mihi res cesserit, Tute omnium maxime, FRANCISCE doctissi-

doctiſſime, eximia qua polles Hiſtoriarum peritia, atque omnigenae eruditionis vbertate, qua merito commendaris, praeſertim vero acri, ſubactoque ingenio iudicare poteris. Mihi vero maxime laetandum erit, quod, etſi quidquid ingenii, virium, ac vitae ſupererit Academicae noſtrae Hiſtoriae conſcribendae libentiſſime conſecrauerim; aliquod tamen argumentum aliud animi leuandi reficiendique amore ſubſeciuis horis elucubrare, Tibique Vir Ornatiſſime, tenue ſaltem obſequii in Te mei, veterisque amicitiae pignus offerre potuerim.

II. Quum Auſonius, vt accurate controuerſiae ſtatum exponam, Romanorum Regum, et Conſulum Faſtos perenni ſerie a ſe contextos ad Heſperium filium ſuum dirigeret, elegans hoc Epigramma, et Epigrammatis titulum Operi praefixit:

I.

AVSONIVS HESPERIO FILIO SALVTEM.

Ignota aeternae ne ſint tibi tempora Romae,
Regibus, et Patrum ducta ſub imperio,
Digeſſi Faſtos, et nomina perpetis aeui,
Sparſa iacent Latiam ſi qua per Hiſtoriam.
Sit tuus hic fructus: vigilatas accipe noctes;
Obſequitur ſtudio noſtra lucerna tuo.

Tu

Tu quoque venturos per longum confere Ianos,
Vt mea congessit pagina praeteritos.
Exemplum iam patris habes, vt protinus et te
Aggreget Ausoniis purpura Consulibus.

II.

SVPPVTATIO AB VRBE CONDITA IN CONSVLATVM NOSTRVM.

Annis vndecies centum coniunge quaternos
Vndecies, vnamque super trieterida necte,
Haec erit aeternae series ab origine Romae.

Ita quoque cum Fastos, aut Consulum seriem Ausonius ad Proculum quendam dirigeret, ait,

III.

DE EODEM AD PROCVLVM.

Vrbis ab aeternae deductam Rege Quirino
Annorum seriem, quam, Procule, accipies,
Mille annos centumque, et bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonii nomen adusque leges.
Fors erit vt, lustrum cum se cumulauerit istis,
Confectam Proculus signet Olympiadem.

IV.

IN FINE EIVSDEM LIBRI ADDITI QVATVOR.

Hactenus adscripsi Fastos, si fors volet, vltra
Adiiciam; si non, qui legit, adiiciat.

Scire

Scire cupis qui ſim? titulum, qui quartus ab imo eſt,
Quaere, leges nomen Conſulis Auſonii.

III. Itaque Interpretes omnes, Lipſius nimirum, Tollius, Vinetus, ac ne in ceteris recenſendis hic immorer, Iulianus Floridus, qui pulcherrimam Auſonii editionem ad vſum Delphini adornauit, exiſtimarunt perſpicuis locis iſtis oſtendi, quod, cum primus annus Aerae Chriſtianae in annum 754. ab Vrbe Roma Condita inciderit, ordinarius Auſonii Conſulatus in annum V. C. 1118. ideoque Chr 365. vel 366. incidiſſe debuit, et Auſonius ipſe Conſulum ſeriem ad annum vsque 1123. protraxit. Ita nimirum, vt Floridus obſeruauit, *ſi quatuor Conſules praeter ipſum extremum numeres, quartus erit Auſonius*, quatuor Conſules alii poſt Auſonium Conſularibus faſcibus ornati, et in accurata Conſulum ſerie memorati iam fuerant; cumque fortaſſe Conſules illi, qui anno proximo 1124. erant futuri, dum Auſonius Proculo ſcriberet, deſignati iam forent, Conſulatus honorem nonniſi pro anno 1125. Proculo Auſonius optare, vel augurari iam poterat, ideoque dixit a Proculo confectum luſtrum, aut Olympiadem ſignandam eſſe. Haec vniuerſa temporum ſeries hisce carminibus, nitidiſque annorum characteribus hic ab Auſonio indicata

conſtans

conſtans adeo, perſpicua, certisque rationibus innixa videtur, vt illa facile doctiſſimos etiam Viros feſellerit, vt a vera temporum ratione, certisque monimentis omnibus mire aberrauerint.

IV. Quis enim ignoret Auſonii Conſulis nomen non niſi anno ab V. C. 1132. ſiue Chr. 379. in Conſularibus Faſtis occurrere, et Conſulatum illum ab eo anno dimoueri, vel in ſuperiora tempora protrudi, atque ad annum 366. immani tredecim annorum diſcrimine transferri non poſſe? Certe in Conſularibus Caſſiodori Faſtis ad annum 379. perſpicue diſerteque legitur *Auſonius et Olybrius;* idemque prorſus Conſulum par in Florentinis maioribus Faſtis, in Idatio, in Proſperi Chronico, in Paſchali Laterculo, in Alexandrino Chronico, in Malala, in Socratis z) Hiſtoria memoratur; ac, ne fortaſſe mendum aliquod irrepſiſſe putes, Victor in Praefatione teſtatur Auſonii et Olybrii conſulatum ſexto Valentis, et ſecundo Valentiniani Conſulatui proxime ſucceſſiſſe, qui ſane in annum Chr. 378. inciderat. Ac, ne teſtimonia cetera hic perſequar, Auſonius ipſe teſtatur, ſe a Gratiano Auguſto, quem anno Chr. 367. erudiendum ſuſceperat, Conſulatus honorem, veluti praemium, accepiſſe;

z) Lib. V. cap. 2.

cepiſſe; ideoque manifeſtiſſime oſtendit, hunc Conſulatus honorem longe poſt annum 366. ſibi obtigiſſe. Itaque aut immanis error in Faſtis omnibus admitti debet, aut in Auſonio reperiri, quorum vtrumque a perſpicuo conſtantique temporum calculo manifeſtiſſime abhorret.

Id optime profecto iam viderant Panuinius, Pagius, Relandus, et Interpretes omnes, qui in illuſtrandis, explicandisque Auſonii Carminibus egregiam operam collocarunt; ideoque, vt implexum hunc, atque inſolubilem prope nodum dirimerent, nouam quandam Epochem ſubtiliter excogitarunt, qua Auſonii calculus cum Faſtis editis conſpiraret.

V. Itaque Faſtorum pater Panuinius, cum Auſonii Conſulatum in anno Chr. 379. in Faſtis omnibus collocatum eſſe conſpiceret, ſimulque tamen in Auſonii Faſtis hunc ad annum 366. reuocatum eſſe intelligeret, id alia ratione fieri vel explicari non poſſe putauit, quam ſi concedatur, Auſonium annos illos 1118. quibus Conſulatus a ſe ſuſcepti tempus expreſſit, non in Catoniana, aut Varroniana Epocha numeraſſe; ſed illos a peculiari potius, inſolito, ignotoque cardine deduxiſſe, quem Auſonius ipſe a ceteris omnibus mire deflectens effinxerat. Itaque exiſtimauit hanc Epocham ab Auſonio vſurpatam 13. ſolidis annis Varroniana poſteriorem eſſe oportere;

ideo-

ideoque Romam in Ausonii sententia non anno 3. Olympiadis VI. sed anno 2. Olympiadis IX. conditam fuisse: ita nimirum annus 1118. ab V. C. in hac Ausonii Epocha numeratus cum anno V. C. 1131. Varroniano congrueret; ideoque Consulatus, qui in Ausonii calculo anno V. C. 1118. adscribitur, in annum Chr. non 366. sed 379. incidisset.

Perspicuum hunc Panuinii calculum Cl. Pagius [a]) amplectitur, simulque obseruauit, quod haec ipsa Ausonii Epocha ab Arnobio quoque longe antiquiori Scriptore vsurpata iam fuerat; cumque deinde haec veluti rudior, et ab vsitatis Epochis aliena in desuetudinem abiisset, eius memoria prorsus exciderat, vt a nullo prorsus adhibita vel memorata sit. Grauissima vero Panuinii et Pagii auctoritate, simulque perspicuis Ausonii verbis permotus Relandus, in Consularibus quidem Fastis Ausonii nomen anno Chr. 379. optime adscripsit; sed anni nos tamen ab V. C. ab Ausonio supputatos a peculiari quadam Epocha ductos asseruit, cuius initium in 13. Varronianum annum incideret; idque Gothofredus etiam ac Interpretes omnes vna veluti voce confirmarunt.

VI. Quamuis autem haec constans doctissimorum virorum sententia, vel ingeniosa Ausonii explicandi ratio maximam, vt ingenue fatear, veritatis speciem prae

 se

a) Ad an. 302.

ſe ſerat, nunquam tamen impetrare a me potui, vt abſurdam adeo ſupputandi methodum, veterisque Chronologiae ignorationem Auſonio, qui certe eruditiſſimus erat, et hoc ipſum Chronologiae caput in digerendis Conſulum et Regum Faſtis explorauerat, admiſſam eſſe cenſerem. Quis enim in tanta Faſtorum copia, ac hiſtoriarum luce, quae Auſonii temporibus habebatur, 13. ſolidis annis ab illo aberratum eſſe putauerit? Quis in Faſtis illis, quos Auſonius exſcripſerat, immanem hunc hiatum irrepſiſſe putet, qui 13. annorum hiſtoriam, totidemque Conſulum paria abſorbuerit, quae tamen in Capitolinis Faſtis, aliisque Scriptoribus accuratiſſime occurrunt? Quid vero quod anno Chr. 247. in quem tertius Philippi Auguſti Conſulatus inciderat, *milleſimus* Vrbis annus magnifice, ſplendideque celebratus, ac in Nummis etiam expreſſus fuit, et Auſonii aetate ignorari certe non poterat, quod ab eo *ſeculari*, vel *milleſimo* Vrbis anno non 117. ſed 130. anni iam fluxerant? Quid vero quod ab ipſa quoque Adriani Auguſti aetate tum in publicis Latinis Marmoribus [b]), tum in Nummis ipſis anni P. R. C. nimirum *poſt Romam conditam* exprimi, ſimulque cum Auguſtorum annis componi, ideoque notiſſimis

b) Vid. Grut. p. 300. n. 1.

mis et certis characteribus designari consueuerant; vt proinde iis temporibus ne a rudioribus quidem hominibus ignorari posset, quinam annus ab V. C. tunc ageretur? Quod si priscis illis temporibus, ferreisque seculis, quibus in tanta Fastorum obscuritate, opinionumque dissidio varietas et error aliquis admitti debebat, in definienda tamen Romanae Vrbis origine Cato a Varrone vnius solum anni discrimine aberrauit, et Fabius Pictor, qui longius aberrat, Vrbem ipsam *quadriennio* solum recentiorem esse putauit, quis opinetur, Ausonium tot praesidiis instructum in definiendo natali Vrbis anno 13. annorum dissidio a Varronis calculo, qui notissimus esse debuit, aberrasse? Ac, ne fortasse quis temere suspicetur, peculiarem hanc Epocham ab V. C. quae ab Ausonio vsurpata dicitur, in Gallia solum, in qua erat, omnemque fere aetatem Ausonius transegerat, vsitatam fuisse, insignis ille Rutilii Numatiani locus, quem opportune iam alibi protuli, ac illustraui c), manifestissime ostendit, quod annorum calculus ab V. C. a Gallis etiam Scriptoribus non in alia, quam in Varronis hypothesi, vel Epocha supputabatur, quod facile et exemplis, et testimoniis aliis ostendi posset. Iraque, cum in Ausonii textu

c) De Praef. Vrb. pag. 330.

vel annorum numero nullus omnino error effingi poffit, illud vnum fupererit, vt eius verba perperam hactenus ab Interpretibus omnibus intellecta, vel explicata dicantur; ideoque vt noua prorfus ratione exponantur, quae cum Varronis hypothefi, receptaque iam Vrbis Epocha congruere, accurateque componi poffit.

VII. Ac initio quidem fufpicabar perplexum hunc, et obfcuriffimum Aufonii locum facile dirimi, et explicari poffe, fi diceretur, quod in Faftis ab Aufonio contextis non modo *ordinarii*, fed etiam *fuffecti* Confules recenferentur; ac Aufonius ipfe anno Chr. 366. *fuffectum* Confulatum gefferit, antequam anno 379. *ordinarius* Conful procederet. Ita nimirum Aufonius in Faftis, quos anno 370. defcripfiffet, de fuffecto hoc Confulatu loquens optime, accurateque dixiffet, fe anno ab V. C. 1118. Confulatum adeptum fuiffe; neque tamen hic Faftis aliis aduerfaretur, quibus Aufonius anno folum 379. veluti *ordinarius*, verusque Conful infcribitur. Haec tamen fufpicio, vel coniectura, quae cogitanti mihi pridem affulferat, omnino refelli debet. Siquidem in Confularibus Faftis, vt Eruditi norunt, *ordinarii* folum, non *fuffecti* Confules memorari confueuerant; nec vllo prorfus indicio, vel argumento fuaderi poteft, quod Au-

fonius

sonius ab vsitata annorum ab V. C. supputandorum methodo recesserit. Accedit etiam quod si Ausonius ipse prius anno 366. *suffectum*, deinde vero anno 379. *ordinarium* Consulatum suscepisset, anno 379. *secundo* Consul diceretur, ideoque in Fastis iterati Consulatus nota reperiretur. Denique, ne rationes alias mox indicandas hic persequar, si Ausonius anno 366. veluti *suffectus* vna cum ordinariis Consulibus Gratiano et Dagalaipho se descripsisset, dicere certe non poterat:

Scire cupis qui sim? titulum, qui quartus ab imo est,
Quaere, leges nomen Consulis Ausonii,

Siquidem in eo titulo, vel eodem anno tria Consulum nomina occurrissent, neque facile deprehendi potuisset, quis *ordinarius*, quisue *suffectus* Consul processisset.

VIII. Quae cum ita sint, id vnum postremo supererit, vt Ausonii verba de suo Consulatu alia prorsus ratione, quam quae doctissimis viris arrisit, intelligi, et explicari nunc debeant. Quaenam vero vel clarior, vel accuratior, vel verisimilior afferri vnquam poterit, quam si dicatur, Ausonium primum quidem Burdigalae anno V. C. 1118. siue Chr. 366. moxque Romae anno V. C. 1131. siue Chr. 379. Consulatum gessisse? Ausonium ipsum duplicem Consulum Seriem, aut duplicis generis Fastos

 edidisse,

edidiſſe, in quorum vna *Romanos*, in alia *Burdigalenſes* Conſules ille complecteretur; in Epigrammate, quod ad Heſperium filium cum Romanis Faſtis direxit, de Romano; in verſibus autem illis, quibus ab V. C. 1118. annos ad Conſulatum ſuum enumerat, non de Romano, ſed Burdigalenſi ſolum Conſulatu loquutum fuiſſe; ideoque in verſibus illis non aliam profecto, quam Varronianam Vrbis Epocham Scriptoribus etiam aliis communem vſurpaſſe?

IX. Vt autem haec omnia Scriptoribus quidem, ac Interpretibus omnibus ignorata, atque a me primum perſpicue certoque, niſi plurimum fallor, demonſtrata clariori, quo poterit, ordine proponantur, obſeruari plurimum velim, quod Auſonius ipſe nitide, diſerteque teſtatur, quod is Conſulatum Burdigalae, nimirum in patria, aliquando geſſerat. Siquidem in *Burdigalae Encomio* honores omnes Burdigalae, ſimulque Romae a ſe ſuſceptos enumerans ait:

Diligo Burdigalam, Romam colo; ciuis in hac ſum,
Conſul in ambabus; cunae hic, ibi ſella curulis,

ideoque aperte demonſtrat, non Romae ſolum, ſed Burdigalae quoque ſe Conſulatum geſſiſſe. Conſulatus ipſe Burdigalae ab Auſonio geſtus eximio quoque Marmoris teſtimonio confirmatur, quod nuper in Gallia Scaligeri tempo-

temporibus effossum fuisse Scaliger ipse testatur [d]), simulque epigraphem ipsi inscriptam producit:

DEC. AVSON. COS. OLYMPIADE LXXXIII.

quamuis ingenue fateatur sibi, dum scriberet, memoria excidisse, an vere LXXXIII. siue LXXXIV. legeretur. Itaque dubitari non poterit, quod Ausonius in Gallia Consulatum gesserit, et Consulatus ille *Olympiadis* nomine designari consueuerit: quod certe nomen Ausonius ipse vsurpauit, dum Proculo scribens ait *Confectam Proculus signet Olympiadem.*

Eiusmodi vero Consulatus, quem Ausonius, ceterique Burdigalae gessere, ac *municipalis* optime dicebatur, non *annuus* Romani Consulatus instar, sed *quinquennalis* erat; ideoque *Lustrum*, vel *Olympias* appellari consueuerat, eo plane sensu, quo Ouidius ipse dixit [e]).

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est,
Iam tempus Lustri transit in alterius.

Siquidem in Municipiis omnibus maiores Magistratus plerumque quinquennales esse solebant; ideoque Cives illi, quibus obtigerant, aliquando *Duumuiri*, aliquando *Consules*, aliquando *Praetores*, plerumque tamen *Quinquennales* in Marmoribus appellantur; quemadmodum in Marmoribus ipsis *Lustrum V. Lustrum VIII.* memoratur.

 X. Il-

d) In not. ad Auson.
e) De Ponto Lib. IV. Eleg. VI.

X. Illuſtre quinquennalis huius Conſulatus exemplum in Gruteri f) Marmore reperitur:

L. LICINIO
SECVNDO
ACCENSO
PATRON. SVO
L. LICIN. SVRAE
PRIMO. SECVNDO. TERTIO
CONSVLATV. EIVS. IIIIII VIR. AVG.
COL. I. V. T. TARRACON.
ET COL. FLAV. P. BARC.
M. GAL. SIRVS. GRATVS
IIIIII VIR. AVG. CONSVL
AMICO OPTIMO

Quis hic aperte non videat, quod *primi, ſecundi, tertii* Conſulatus nomine nihil prorſus aliud intelligi poteſt, quam *primus, ſecundus* ac *tertius* diuturnioris, adeoque facile *quinquennalis*, Conſulatus annus? vnde vberrima certe lux Marmoribus illis affulget, in quibus aliquando *Conſul I.* hoc eſt *Conſul primo* reperitur, quod de Romanis Conſulibus vſurpari ſane non ſolet. Sic in Piſano Marmore, quod a Noriſio profertur, ac modo prorſus interiit, perſpicue diſerteque legebatur

D. M. S.
FELIX. HERCVLEO
EQ. P. AED. II. COS. I.
PONT. PERP.
REIP. PIS.

quod

f) Pag. 429. n. 5.

quod nimirum ille tunc Pisis *primum* quinquennalis eiusmodi Consulatus annum agebat.

XI. Itaque, cum in Hispania, Pisis, alibique quinquennales eiusmodi Consulatus occurrant, cum Burdigalae Consulatus *Lustri*, vel quinquennis *Olympiadis* nomine designetur, cum Ausonius auguretur, vt Proculus sibi in Consulatu succedat, nouamque Olympiadem initurus *confectam* ab Ausonio Olympiadem signet, dubitari certe non poterit, quin Ausonius ipse in vtroque Epigrammate, quod Proculo inscripsit, et in quo annorum ab V. C. numerum expressit, de municipali solum, quinquennali, ac Burdigalensi Consulatu loquatur. Etenim; si de Romano, vel annuo Consulatu res foret, non *Lustri*, vel *Olympiadis* nomen adhiberetur, neque integrum Olympiadis, vel Lustri tempus expectandum fuisse diceret, vt Proculus Ausonio in Consulatu succederet; sed Ausonius amico suo dignitatem illam vel proximo, vel viciniore saltem anno ineundam auguratus fuisset. Quod enim Interpretes omnes existimarunt, Ausonium ea solum de caussa Consulatum Proculo pro anno solum V. C. 1125. auguratum fuisse, quod anni proximi 1124. Consules designati iam forent, non modo futile, sed ab ipsa quoque Ausonii mente alienum conspicitur, qui non designatos

hos

hos Consules prius eo munere decorandos, sed Olympiadem solum conficiendam vnice memorauit; ideoque solum tunc Proculo Consulatum praedixit, cum Olympias cumulato lustro *confecta* foret; nimirum, peracto iam absolutoque Ausonii tempore, noui futuri Consulis tempus instaret. Ac certe quidem, si de Romano Consulatu loqueretur Ausonius, quid *Lustri*, quid *Olympiadis* nomen vsurpasset, cum in Romanorum Consulum serie nulla prorsus Olympias inueniretur, aut Olympiadum ratio haberetur, ac nulla prorsus Olympias anno V. C. 11 5. conficienda, vel absoluenda foret?

XII. Quum ergo perspicuis adeo, certisque characteribus a me demonstretur, quod versibus illis Ausonius non *Romanum*, sed *Burdigalensem* solum, Consulatum expresserit, manifestissime inferri debet, quod, licet Interpretes omnes Scaligerum sequuti vnicum Fastorum Opus ab Ausonio scriptum putauerint, ille tamen duplicem prorsus Fastorum Seriem duobus, distinctisque Libris expressam, ac duobus, distinctisque Viris inscriptam contexuit; vt in vna quidem Hesperio filio suo dedicata sola Romanorum Regum, Consulumque nomina expresserit; ideoque Hesperio auguratur, vt ille quoque patris instar *Ausoniis*, hoc est Romanis verisque *Consulibus* accenseatur;

in

in alia vero Proculo inſcripta patrios, quinquennales, municipales, Burdigalenſes nimirum, Conſules recenſuerit.

XIII. Ac primam quidem Conſulum Seriem, vel Romanorum Faſtos Auſonius non anno 379. quo Romanum Conſulatum obtinuit, ſed anno potius 383 ſcripſiſſe debuit, vt ex verſibus illis apparet:

Scire cupis qui ſim? titulum, qui quartus ab imo eſt,
Quaere, leges nomen Conſulis Auſonii,

quo certe loco non *quartus ab vno*, vt in libris aliquot deprauate legitur, ſed *quartus ab imo* legendum aſſero; vt nimirum exprimatur in eiusmodi Serie poſt Auſonii nomen quatuor etiam Conſulum paria, vel ciuiles annos memoratos fuiſſe; ideoque Seriem in Merobaude, et Saturnino deſinere, qui anno 383. Conſules proceſſere. Ita nimirum optime vereque dicitur, quod ab *imo*, poſtremoque titulo, ſeu Merobaudis, et Saturnini nomine, ſi ſuperiores Conſules numerentur, *quartus* erit Auſonius, qui anno 379. imperauit.

In altera vero Conſulum Serie, quam Auſonius ipſe ad Proculum miſit, anni quidem ab V. C. et Romanorum Conſulum nomina exhibebantur; ſed ſimul etiam per Olympiades, ſiue quinquennia Burdigalae vſurpata e regione Conſulum Romanorum ipſa quoque Burdigalenſium Conſulum nomina expreſſa fuerant: quemadmo-

dum

dum fere in Diodoro Siculo Consulum Romanorum nomina, aut Fasti, simulque etiam in primis Olympiadum annis Olympionicarum nomina adscribuntur; atque in Praefectorum Vrbis Laterculo, quem Cuspinianus vulgauit, vna cum Romanorum Consulum nominibus ipsa quoque Praefectorum nomina coniunguntur. Itaque in editis Ausonii Libris Epigramma II. cum III. optime accurateque coniungitur, cum ipsorum vtrumque de municipali Burdigalensium Consulatu loquatur; sed Epigramma IV. quod nunc a I. diuellitur, ipsi coniungi, proximeque subuecti debet, cum in vtroque de Romano solum agatur.

XIV. Quod si in Epigrammatis Proculo inscriptis non Romanum, sed Burdigalensem solum, Consulatum Ausonius intelligit, vt hactenus demonstraui, nullus opinor, ambigendi locus superserit, quin ille hunc honorem anno V. C. 1118. quem ipse semel iterumque expressit, ideoque anno Chr. 366. susceperit. Nec serius profecto Consulatum illum in patria sortiri ipse poterat, cum anno proximo 367. quo Gratianus a Valentiniano patre *Augusti* nomen accepit, Ausonius Burdigala ad aulam accitus fuerit, vt Gratianum ipsum erudiret, eoque Praeceptoris munere decore, laudatissimeque perfunctus anno 378. vna

cum

eum Hesperio filio Galliarum, simulque Italiae Praeterio praefuerit, moxque anno proximo 379. Romanorum Consulum fasces, veluti laboris fructum, obtinuerit.

XV. Quandoquidem vero Lapis a Scaligero memoratus Ausonium ipsum Olympiade LXXXIII. vel LXXXIV. Consulem fuisse demonstrat, perspicue apparet, quod Olympiades illae, siue *Lustra*, aut quinquennales Consulatus Burdigalae anno V. C. 703. vel 708. instituti fuerant, vt LXXXIII. vel LXXXIV. Olympiadis initium in annum ab V. C. 1118. incidisse potuerit; cumque dignitates illae institui consueuerint, cum noua quaedam regiminis forma vel nouum Magistratus nomen institutum foret, facile vtrumque Burdigalae circa annum ab V. C. 702. institutum videtur, quo Caesar Galliis omnibus subactis anno proximo 703. nunquam rediturus e Galliis discessit; ideoque facile Burdigalae Ciuitati Municipii iura, et Municipales Magistratus concessit, qui fortasse initio *Duumuiri Quinquennales*, deinde vero ambitionis caussa *Consules* appellati sint: quemadmodum prorsus Cicero g) de Capuanis, qui Coloniae suae Magistratus non aliarum instar *Duumuiros*, sed nouo, nobiliorique nomine *Praetores* vocabant, ait: *nonne arbitramini, paucis annis fore nomen Consulis appetituros?* Quod enim Reinesius h) existimauit

g) De lege Agr. c. 34. h) Epist. 31.

ſtimauit Auſonium in patria *Duumuirum* fuiſſe, ſed metri cauſſa ſe *Conſulem* appellaſſe cum ait: *ciuis in hac ſum, Conſul in ambabus*, profecto ille fallitur, vt Chimentellius [i]), Caſaubonus [k]), ac Noriſius [l]) optime demonſtrarunt; idque ex ſuperioribus Auſonii verbis rite explicatis vberius ac illuſtrius inferri iam poterit. Certe vt Gruteri [m]) Marmora omittam, in quibus eiusmodi Municipalium Conſulum nomina reperiuntur, perſpicuo Plinii [n]) teſtimonio erudimur, quod ab antiquis vsque temporibus Tuſculi *Conſules* eligebantur, cum ait: *Eſt L. Fuluius inter inſignia exempla, Tuſculanorum reluctantium Conſul, eodemque honore, cum tranſiſſet, exornatus, confeſtim a R. P. qui ſolus eodem anno, quo fuerat hoſtis, Romae triumphauit ex iis, quorum Conſul fuerat.*

Atque iſta quidem de celebri mireque implexo Auſonii loco, quem ab erroris ac oſcitantiae nota temere ac imprudenter hactenus Auſonio inuſta ſatis a me vindicatum eſſe confido. Itaque, niſi fallor, in poſterum in vexatis illis Auſonii Carminibus non inſolens quaedam Epocha, vel peculiaris quaedam annorum ab Vrbe Condita ſuppu-

i) De hon. Biſel.

k) In Apol. Apul.

l) Cenot. Piſan. diſſ. t. c. 3. p. 41. 439. p. 438. 7.

m) Pag. 351. 5. pag. 90. 8. p.

n) Hiſt. Nat. Libr. VII. c. 44.

ſupputandorum ratio, ſed eadem prorſus Epocha, annorumque calculus agnoſcetur, qui a Varrone inſtitutus mira conſtantique Chronologorum omnium conſenſione confirmatus fuit. Proximum eſt, vt id ipſum de illuſtri quoque Arnobii loco modo demonſtrem.

XVI. Vehemens ille, et acerrimus Chriſtianae Religionis aſſertor Ethnicorum furorem deſcribens o), quo ſacros Chriſtianorum Codices comburi, eorumque Templa dirui iuſſerunt, ait: *Quod ſi haberet vos aliqua pro veſtris Religionibus indignatio, has potius Litteras, hos exurere debuiſtis olim Libros, demoliri, diſſoluere theatra haec potius, in quibus infamiae Numinum propudioſis quotidie publicantur in Fabulis. Nam noſtra quidem Scripta cur ignibus meruerunt dari, cur immaniter Conuenticula dirui, in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis, et venia poſtulatur, Magiſtratibus, exercitibus, Regibus* p)?

Eiusmodi vero decreta de comburendis Chriſtianorum Libris, eorumque Templis funditus euertendis ineunte ſolum anno Chr. 303. edita ſunt; vt proinde Cirtae in Numidia 3. Nonas Martii anni 305. Concilium celebratum fuerit, in quo poenae *Traditoribus* inflictae ſunt;

o) Adu. Gentes Libr. IV. in fine.
p) Vid. Euſ. Hiſt. Eccleſ. Lib. VIII. c. 2.

sunt; iis nimirum, qui sacros eiusmodi Codices comburendos inquirentibus Ethnicis tradidissent. Itaque perspicue apparet, quod Arnobius Libros suos *Aduersus Gentes* ineunte iam anno Chr. 303. scripsisse debuit; quemadmodum sane alio in loco annos, qui a Christo nato iam fluxerant, indicare volens ait q): *Trecenti sunt anni ferme, minus, vel plus aliquid, ex quo coepimus esse Christiani, et Terrarum in orbe censeri.*

XVII. Quemadmodum vero hic Arnobius persecutionis initium trecentis circiter a Christo nato annis expressit, ita quoque tempus illud ad annos V. C. referre, vel ab V. C. supputare volens ait, ab Vrbe Condita ad annum illum mille fere et quinquaginta annos fluxisse r): *Aetatis Vrbs Roma cuius esse in Annalibus indicatur? Annos ducit quinquaginta, et mille, aut non multum ab his minus.* Itaque, si hos mille et quinquaginta Vrbis annos in Varronis Epocha enumeres, ipsorum postremus incidet in annum ab V. C. 297. ideoque Arnobius ante annum ipsum scripsisse debuisset; quamuis ex characteribus aliis, ac superiori Arnobii testimonio manifestissime demonstretur, quod ante annum Chr. 303. scripsisse certe non

q) Lib. I. Vid. Tillem. Hist. Eccles. T. V. n. 6.
r) Lib. II.

non potuit. Ergo, ne grauis adeo varietas, error, et inconſtantia in eruditiſſimo Scriptore admittatur, neceſſario dicendum foret, quod Arnobius ipſe V. C. annos non in vulgata receptaque Varronis Epocha numerauit; ſed in alia ſolum, cuius initium *quinque* ſaltem annis Varroniano initio poſterius eſſe deberet, vt annus a Chriſto nato 303. in annum ab V. C. 1050. proxime incideret, ſi vere Arnobii Liber eodem ipſo anno Chr. 303. prodiiſſet.

XVIII. Quid vero, ſi Liber ille non anno Chr. 297. vel 303 ſed poſt annum 303. quo immanis illa Diocletiani perſecutio excitata in Chriſtianos omnes vbique gentium concitata fuit, ab Arnobio exaratus, ſurentibusque in Chriſtianos Ethnicis obiectus videatur? Id ſane plurimis, certisque temporum characteribus ab *Arnobio* demonſtratur. Siquidem excitatae iam perſecutionis rabiem deſcribens [s]) ait: *Quod tam magnis ingeniis praediti Oratores, Grammatici, Conſulti Iuris, ac Medici, Philoſophi etiam ſecreta rimantes, magiſteria haec expetunt; ſpretis quibus paullo ante fidebant; quod ab dominis ſe ſerui cruciatibus affici quibus ſtatuerint, malunt,*

E 2 *ſolui*

s) Lib. II. adu. Gent.

solui coniuges matrimoniis, exheredari a Parentibus liberi, quam fidem rumpere Christianam, et salutaris militiae Sacramenta deponere. Quod quum genera poenarum tanta sint a vobis proposita Religionis huius sequentibus leges, augeatur res magis, et contra omnes minas atque interdicta formidinum animosius populus obnitatur, et ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitetur.

Eiusmodi Arnobii verba Cl. Pagius an. 302. ad annum Chr. 297. referri posse negauit: *Tunc enim,* inquit, *tantum in Milites saeuitum est; sed post Edictum persecutionis generalis . . . cum Arnobius loquatur de Christianis cuiuscumque aetatis, sexus, ac conditionis, quod ante sequentem annum 303. emissum non est. Itaque,* concludit Pagius, *vtitur Arnobius Epocha Vrbis, quam postea adhibuit Ausonius; ideoque aduersus Gentiles eo tempore scripsit, quo Galerius omni tormentorum genere Christianos vexabat, anno scilicet Christi 310. In tanta quippe diuersitate opinionum de priori anno V. C. nulla occurrit, cui adhaerere potuerit Arnobius, praeter illam, quam diximus.*

XIX.

XIX. Nollem Cl. Virum de Ecclesiastica Historia, omnique prorsus doctrina immortaliter meritum commentitia illa Ausonii Epocha abreptum grauiter adeo temporum seriem perturbasse. Vt enim omittam, quod error aliquis apud Arnobium in numeros facile irrepsisse poterat, vt merito Baronius, ac Basnagius ipse putauit, certe superiora Arnobii verba de leuiori solum, ac peculiari quadam persecutione contra Milites excitata commode intelligi, ideoque facile ad annum ipsum 297. referri possent, quis aperte non videat, quod quamuis etiam post editum generalis persecutionis decretum, ideoque post initum annum 303. aureus ille Arnobii Liber editus concedatur, nunquam tamen exsculpi inde poterit, quod Arnobius Ausonianam Epocham, si quae fortasse illa foret, vsurpauerit, ideoque ex Arnobii loco huic Epochae auctoritas, ac praesidium aliquod inquiratur? Siquidem obscurior ille, et ambiguus Arnobii locus id vnum ostenderet, quod Scriptor ille in supputandis annis ab V. C. nonnisi sexennii discrimine a Varronis Epocha dissideret: cum tamen Epocha, quae perperam hactenus Ausonio tributa fuit, integro 13. annorum spatio a Varronis Epocha aberret. Itaque Cl. Pagio libens concesserim, quod Arnobius, furente iam Diocle-

 tiani

tiani rabie, ideoque affecto iam anno 303. Librum exarauerit, ibique in fupputandis annis ab V. C. et a Christo nato minus accurate feliciterque fummam expreſſerit. At nunquam tamen conceſſerim, Arnobii Librum ad Galerii tempora, ideoque ad annum 310. reuocandum eſſe, quod Pagius ex praeconcepta iam Aufonianae Epochae hypotheſi exiſtimauit.

XX. Sed quid coniecturis, et argumentis aliis hic immorer, cum aperte ſatis oſtenderim, Auſonianam hanc Epocham, quae hic a Pagio explicandis Arnobii verbis in praeſidium vocatur, omnino falſam, et commentitiam eſſe oportere, nec aliunde, quam ex perperam intellectis Auſonii verbis, profluxiſſe? Itaque tum Auſonius, tum Arnobius Varronianam Epocham vſurpauit: hoc tamen diſcrimine, quod Auſonius tum Romae Conditae, tum Conſulatus ſui tempus accuratiſſime compertum habuit, ideoque is perſpicue illud expreſſit; Arnobius vero Chriſti nati tempus, Chriſtianamque Hiſtoriam breuius, leuiusque attigerat; ideoque vel obſcure, vel haeſitanter, vel minus accurate a Chriſto nato tempus expoſuit: quemadmodum certe in pluribus ad Chriſtianam doctrinam ſpectantibus Arnobius ipſe a communi

muni Patrum aliorum ſententia ſubinde aberrauit, vt Theologi iam obſeruarunt. Etenim, cum Arnobius recens admodum, dum ſcriberet, Chriſtianam Religionem amplexus foret, nondum eius dogmata et Hiſtoriam ſatis imbiberat; ideoque facile in ſupputandis annis ceſpitare ille potuit: cum praeſertim veteres olim Chriſtianos hac in parte incurioſos vel indiligentes fuiſſe exemplis innumeris oſtendatur.

Haec ſunt, FRANCISCE humaniſſime, quae de celebri Auſonii et Arnobii loco, vel Auſoniana, ſi ſuperis placeat, Epocha diſſerenda putaui, vt ſuus doctiſſimo, politiſſimoque Scriptori honor conſtaret, nec abſurda opinio temere in poſterum ab Interpretibus, et Chronologis ipſi affingatur; ſed Auſonii carmina noua purioriique luce illuſtrentur. Tuum, eſt conſilium hoc meum, laboremque, quicumque tandem is fuerit, aequi conſulere; atque vbi vel orationis cultum, vel ingenii vim, vel eruditionis copiam deeſſe videas, id languentibus adhuc viribus, et infirmae, qua ſum, valetudini tribuendum intelligas.

Dabam Piſis 16. Kal. Ian. anno 1763.

Dum

Dum bis mille decem quingenti ſexque agerentur
Anni, Roma, tibi, tunc veros Conſulis annos
Auſonii, et varios diſtinxit Epiſtola Faſces,
Tertius ac decimus quos iam ſecreuerat annus.